

habitas fuisse, asserit Baronius, sed secundum illius Concilii Acta, quæ nunc habemus, fuerunt tantum sexdecim. In prima Actione, lectis Actis Iatrocini Ephesini, *Dioscorus* Alexandrinus, *Juvenalis* Hierosolymitanus, *Thalassius* Cæsareæ Capadociæ, *Eusebius* Ancyranus, *Eustathius* Berytenis, & *Basilus* Seleuciensis Episcopi, & Conciliabuli Ephesini Principes, suis Sedibus fuerunt dejecti. In secunda Actione lecta fuit celeberrima S. Leonis Papæ ad Flavianum de Incarnatione Verbi Divini contra Hæresim Eutychemis Epistola, & unanimi Patrum consensu approbata est. In tertia Actione ventilata est Causa *Dioscori* Alexandrini, qui ad Synodum ter vocatus, & comparere detrectans, depositus est, omnisque ei adempta spes, suam Sedem recuperandi. In quarta Actione, *Juvenalis* Hierosolymitanus, *Thalassius* Cæsariensis, *Eusebius* Ancyranus, *Eustathius* Berytenis, & *Basilus* Seleuciensis, qui a Synodo depositi fuerant, dolentes, quod iudicio contra Flavianum subscripsissent, & damnantes Eutychem & *Dioscorum*, ad suas Sedes admissi sunt. In eadem Actione agitata est Causa, *Phorium* Tyrionum Episcopum inter, & *Eustathium* Beryti Antistitem, qui jus Metropolitanum sibi arrogabat, contra quem statuit Sancta Synodus, jus Metropolitanum Episcopo Tyrionum servandum esse etiam Imperator Civitatem Beryti in Metropolim nuper erexisset. In quinta Actione conscripta & recepta fuit fidei definitio, qua declaratur, unum, eundemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconsulse, immutabiliter, indivise & inseparabiliter esse agnoscendum. In sexta Actione, (cui *Marcianus* Imperator interfuit, sed non *Pulcheria* Augusta, sicut quidam perperam asserunt (a)) relecta est definitio Fidei, & omnium Episcoporum consensione comprobata. In septima Actione, illis, quæ *Maximum* Antiochiæ inter, & *Juvenalem* Hierosolymorum Antistites circa suarum Dioceseon limites oborta fuerat, mutuo consensu dirempta; nempe ut *Antiochenus* Episcopus duas Phœnicias, & Arabiam, Hierosolymitanus vero Antistes tres Palæstinas sua sub potestate, & jurisdictione haberet, quod & totius Synodi iudicio firmatum est. In octava actione, *Theodoretus* Cyrensis Episcopus, postquam iussu Concilii Nestorio & omnibus idem cum eo sentientibus Anathema dixisset, Synodali iudicio mox in Ecclesiam, ex qua Iatrocini Ephesini decreto fuerat expulsus, restitutus est, & Catholicus iudicatus. In nona, & decima Actionibus discussa est causa *Ibe* Edesseni Episcopi, qui, dicto pariter in Nestorium, & Eutychem Anathemate, a Synodo Chalcedonensi receptus, ac suæ Sedi restitutus est. In actionibus undecima & duodecima plenissima tractata est Causa *Bassiani*, & *Stephani*, qui post mortem *Basilii* de Episcopatu Ephesino certatim contendebant. Decrevit autem Sancta Synodus, ut neuter sederet, sed tertius ordinaretur Episcopus Ephesinus, ita tamen ut *Bassianus*, & *Stephanus* alerentur sumptibus ex ærario Ecclesiæ Ephesinæ, solidis videlicet ducentis aureis quovis anno persolvendis. Ex quo profuxit origo Pensionum Ecclesiasticarum, de quibus antehac in monumen-

tis Ecclesiasticis nulla prorsus habetur mentio. In Actione decima tertia composita est contentio orta inter *Eunomium* Nicomediensem, & *Anastasio* Nicænum Episcopos. Congressus erat *Eunomius* Episcopus Nicomediensis, iura sua Metropolitana ab *Anastasio* Antistite Nicæno fuisse invasa. Hanc controversiam diremit Sancta Synodus juxta Canonem sextum Concilii Nicæni, nempe, Nicænum Episcopum, servato ei Metropolitanam honorario titulo, Nicomediensi Episcopo, tanquam Metropolitanam subijci debere. In Actione decima quarta statutum est, *Sabinianum* recte ordinatum fuisse Perrhenorum Episcopum, & amovendum esse *Atbanasium*, quem Perrhenorum Antistitem *Dioscorus* ordinaverat. In Actione decima quinta Patres Concilii Chalcedonensis plures Canones, absentibus Legatis Summi Pontificis, condiderunt. Græci Codices habent XXX. Canones, Latini, tantum viginti octo. Ex quibus ultimus, seu vigesimus octavus confirmat Patriarchicam Privilegia, quæ Concilium primum Generale Constantinopolitanum anno cccclxxxii. celebratum concesserat Episcopo Constantinopolitano, ut scilicet post Episcopum Romanum Primatum honore frueretur, jusque ac potestatem haberet in Thraciæ, Ponti, & Asiæ Dioceses, earumque Metropolitanas, & insuper Episcopos Barbarorum ordinareret?

„ (a) Non ita facile sollicitari potest illorum
„ opinio, qui tenent *Pulcheriam* Augustam una
„ cum *Marciano* viro suo Concilii sessionibus inter-
„ fuisse; qua de re audiendi sunt differentes
„ *Ballerini* fratres in Epistolam Anatolii Con-
„ stantinopolitani ad S. Leonem ab ipsis primum
„ erutam e Vaticano Codice, quamque in sua edi-
„ tione num. 101. signant. Est autem adnotatio
„ ad hæc Anatolii verba: cum subscripsissemus una-
„ nimi consensu libello (definitionis a Concilio
„ editæ) qui convenimus in consensu universali-
„ sis nostre Synodi &c. cumque piissimi & Christi
„ amantissimi Imperatoris nostri *Marciani*, & piis-
„ sime perque omnia fidelissima Imperatricis *Augu-
„ stæ filie nostre Pulcheriæ* oratione & gaudio
„ atque hilaritate scriptam ad confirmandam eam,
„ quæ Patrum nostrorum fuit, fidei definitionem
„ &c. Ad quæ verba notant *Ballerini* *Pulcheriam*
„ Augustam revera interfuisse una cum viro suo
„ actionibus Conciliaribus; nomenque ipsum *Pul-
„ cheriæ* legi admonent in collectionum latinarum
„ paucis nonnullis capitulis interpretationis omni-
„ no diversæ ab ea, qua versa sunt cetera capita
„ ejusdem Synodi. Ex hoc interpretationum discrimi-
„ mine viri illi doctissimi evincunt paucorum il-
„ lorum capitulum interpretationem utpote rudio-
„ rem, & minus accuratam remotioris esse an-
„ tiquitatis, quam sit generatim omnium acto-
„ rum versio; & facile inducuntur, ut credant,
„ lucubratam illam fuisse ipso superflite S. *Leone*.
„ In illo ergo antiquissimo textu græco, unde
„ desumpta est hæc vetustissima interpretatio,
„ *Pulcheriæ* nomen legebatur, quamquam hodie
„ non legitur in græco textu excuso. Idem pa-
„ riter occurrit nomen in MS. Collectionis *Quel-
„ nellianæ*; idem in Vaticano Codice 1222. Idem
„ tan-

„ tandem legitur in auctore *Breviculi* historia:
„ Eutychanistarum, cujus hæc sunt verba: in
„ qua & ipse (Imperator) & *Pulcheria* re-
„ sedie.

D. Consenseruntne Legati summi Pontificis huic
Canonis vicefimo octavo, quo post Romanum Pon-
tificem primatus honoris, & jura Patriarchica ad-
judicantur Episcopo Constantinopolitano?

M. Immo potius reclamarunt Legati Summi
Pontificis in Actione decima sexta, & ultima il-
lius Concilii, quæ Calendis Novembris habita est.
In ea quippe postularunt Legati, ut relegeretur
Canon ille de Sede Constantinopolitana, seipsis
absentibus, conditus. Relectus itaque est hic
Canon cum omnium ferme Patrum subscriptionibus,
cui quippe intercesserunt Legati; Patres tamen
eundem Canonem, non obstante Legatorum
reclamatione, sua auctoritate firmarunt, acclaman-
tes: Hæc justa sententia. Hæc omnes dicimus.
Verum, hic Canon vigesimus octavus Concilii
Chalcedonensis a S. Leone Papa fuit repro-
batus, & ab ipsismet Græcis expunctus e numero
Canonum. Cæteros autem ejusdem Concilii
Canones approbavit tacito saltem consensu San-
ctissimus ille Pontifex, eosque universa recepit
Ecclesia.

D. Hæc sunt igitur Concilia, quæ in quinto
Ecclesiæ sæculo ad proscribendas Hæreses fuerunt
celebrata?

M. Præter hæc Concilia, quæ hæcenus recen-
suimus, aliæ Synodi contra errores Origenistarum
anno ccccii. fuerunt celebratæ, videlicet *Cypria* a
Sancto *Epiphano* Salaminæ Episcopo, & *Alexan-
drina*, in qua *Theophilus* Patriarcha *Alexandri-
nus* *Dioscorum*, *Ammonium*, & *Euthymium* *Egy-
pti* *Monachos*, qui *Fratres longi* cognominaban-
tur, damnavit, quod nolent subscribere damna-
tioni Origenis. At isti *Anachoretæ* gravissimis a
Theophilo calamitatibus vexati, & e suis Mona-
steriis extorres vivere coacti, Constantiopolim
anno cccclii. venerunt, & ad pedes Sancti *Joan-
nis* *Chrysofomi* hujus Civitatis Episcopi sese ab-
jecerunt, eius præsidium implorantes: *Joannes*
pietate motus, hos *Monachos* vitæ austeritate
confectos, ætate provecos, canitie venerabiles,
benigne exceptos fovit hospitio, illos tamen, in-
consulto *Theophilo*, ad communionem Ecclesia-
sticam admittere noluit. *Arcadius* Imperator de-
justis querelis horum *Monachorum*, & de eor-
um accusationibus adversus *Theophilum* per li-
bellum supplicem certior factus, iussit *Theophi-
lum*, etiam invitum, Constantiopolim adduci.
Ea res *Theophilum* vehementer commovit in *Joan-
nem* *Chrysofomum*, eumque perdendi inivit Con-
siliium, quamvis *Joannes* ipsi per litteras contesta-
tus fuisset, se omni conatu his *Anachoretarum* ac-
cusationibus penitus abstinuisse. *Theophilo* in hac
causa *Joannem* *Chrysofomum* criminanti sese ad-
junxerunt S. *Epiphanius* Salaminæ in *Cypro* *Epis-
copus*, & S. *Hieronimus*, qui ægreferebant, quod
Joannes hic *Anachoretis* faveret, quos *Theophi-
lus* tanquam *Origenistas* damnaverat. Quin, &
ipse *Epiphanius* non dubitavit Constantiopolim
accedere, & licet a *Joanne* perhonorifice fuisset

set exceptus, & omni officio ad pacem invita-
tus, omnem tamen cum illo communionem ab-
rupit, voluitque in *Monachos* dictos *Fratres lon-
gos*, eisque adherentes velut *Origenis* fautores pa-
lam in Ecclesia excommunicationis ferre senten-
tiam, sed, ne id attentaret, a *Serapione* Diacono
tempestive admonitus, proprioque ipsemet deterri-
tus conatu abstitit a cæptis, tacitusque Constantino-
poli abcessit in suam reversurus Ecclesiam. Sunt
nonnulli, qui scribunt, *Joannem* *Epiphano* Con-
stantinopoli proficiscenti prædixisse mortem ante-
quam *Cyprum* attingeret; & vicissim *Epiphanium*
Joanni *Chrysofomo* imminens exilium fuisse vati-
cinatum. Sed istas prædictiones *Epiphanius*, & *Chry-
sofomi*, ut fabulosas, & plane commentitias jure
optimo irridet *Baronius*, quippe quæ non solum
sanctis hominibus indignæ prorsus videntur, sed
etiam a *Socrate* in sua *Historia Ecclesiastica* non
referuntur pro veris, ac certis.

Postquam S. *Epiphanius* Constantinopoli abis-
set, S. *Joannes* *Chrysofomus* Orationem habuit
ad Populum, quæ omnium generaliter mulierum
vitia carpebat, & *Eudoxiæ* Augustæ animum in
S. *Chrysofomum* exasperavit. Putans liquidem
Eudoxia illatam sibi hæc *Chrysofomi* Oratione
contumeliam, curavit, ut *Theophilus* Patriarcha
Alexandrinus, qui Constantinopolim cum multis
Episcopis *Egypti* venerat, Synodum in *Subur-
bio* *Chalcedonis* ad *Quercum* anno ccccliii. con-
vocaret, cui etiam interfuere quidam Asiæ *Epis-
copi* a *Chrysofomo* juste depositi, & hac de cau-
sa ei maxime infensi. Ad istud Conciliabulum ci-
tatur *Joannes*, qui tamen comparere noluit coram
Episcopis, qui spiritus æquitatis, & disciplinæ
Ecclesiasticæ legibus in ejus exitum toti incumb-
bant. Nihilofecius hæc *Pseudo-Synodus* *Chry-
sofomum* damnavit, eumque *Arcadius* Imperator
suo decreto exulare iussit. Paruit *Chrysofomus*,
& ineunte nocte solvit e portu navis, quæ
Sanctissimum illum Antistitem in exilium defere-
bat, populo in littore vehementer indolente.
Verum ingenti terræ motu facta, quo concussa
est tota Civitas, ac plebs ad seditionem urgen-
te, coactus est *Arcadius* ab exilio quamprimum
revocare *Chrysofomum*, qui tam festivus totius
populi acclamationibus exceptus est, ut non ab
exilio, sed potius ex victoria redire videretur;
sed ecce paulo post, novus intonuit turbo, qui
conceptam populi lætitiâ in acerbum luctum
convertit. At enim, cum celebrarentur ludi ad
Ecclesiam, ob argenteam *Eudoxiæ* Augustæ sta-
tuam, quæ supra columnam purpuream erat ere-
cta, *Chrysofomus* ejusmodi ludos magno animi
æstu exagitans, celebrem illam habuit orationem,
quæ adhuc inter ejus Opera legitur, &
cujus initium est: *Rursus* *Herodias furis* &c. qua
oratione, quasi in se dicta, sibi amplius temperare
haud potuit *Eudoxia*, sed muliebri more ira
supra modum excandescens dedit operam, ut altera
de vestigio Constantinopoli haberetur Synodus,
ad quam vocatus *Theophilus* *Alexandrinus* con-
sulto adesse noluit, veritus ne facta populi com-
motione vitam suam in discrimen adduceret. Mi-
sit tamen Legatos, qui cum aliis Episcopis in *Jo-*

annem Chrysostrum male affectis depositionis sententiam, in ipsum a Theophilo Alexandrino in Synodo ad Quercum jam latam, confirmarunt. Sic Chrysostrum a suis adversariis iniuste iterum oppressus, in exilium iussu Arcadii Imperatoris abductus est, quod illi fuit gravissimum, non solum ob periculum itineris ab Isauris latronibus infestati, & ob febres, & dolores stomachi, quibus frequenter torquebatur, sed etiam ob rerum omnium penuriam, quam per triennium, & quatuor circiter menses, usque ad mortem in suo exilio constanter, & infracto pectore passus est. Innocentius I. Summus Pontifex, ad quem Chrysostrum iniuste damnatus appellaverat, Romæ Synodum coegit, in qua Chrysostrum innocentem declaratum, suam in communionem recepit, misitque Legatos ad Honorium, Occidentis Imperatorem, ut scriberet ad fratrem suum Arcadium Orientis Imperatorem, ejusque auxilio Synodus celebraretur Thesalonica, ibique Chrysostrum causa, quæ Orientem, & Occidentem suspensum, distractumque tenebat, in rem Ecclesiæ dijudicaretur. Sed Legati, acceptis Innocentii Papæ, & Honorii Imperatoris litteris Constantinopolim profecti, re infecta, redire coacti sunt. Theophilus siquidem Alexandrinus impedit, ne hæc Synodus, in qua detectis ejus fraudibus, innocentia Chrysostrum patuisset, celebraretur. Immo, mortuo etiam Chrysostrum sese adeo infensum exhibuit Theophilus, ut omni conatu semper obfiterit, ne ejus nomen in Diptychis inscriberetur. Mortuo Theophilo, Cyrillus ejus nepos, & in eadem Sede Alexandrina successor, rogatus ab Attico Episcopo Constantinopolitano, ut Chrysostrum nomen in Ecclesiæ Alexandrinæ tabulis conscriberetur, statim consentire noluit, sed postmodum, re melius perspecta, *Arsacium*, qui, vivente adhuc Chrysostrum, Episcopus Constantinopolitanus fuerat ordinatus, e Diptychis Alexandrinis deleri, ejusque loco Chrysostrum nomen subrogari consensit. Tunc per universum Orientem Festus dies Sancto Joanni Chrysostrum facer, publico cultu cœpit celebrari, quæ festivitas majori cultu aucta est, quando sub *Proclo* Episcopo Constantinopolitano, anno videlicet ccccxxxviii. Reliquiæ Sancti Joannis Chrysostrum magnificentissima pompa Constantinopolim advectæ sunt, & ad eas Theodosius junior Imperator Arcadii filius genibus provolutus, veniam supplex pro suis parentibus oravit, & Sanctissimo Pontifici se, suumque commendavit Imperium. Sed satis hæcenus dictum sit de origine & progressu celebris illius controversiæ, quam non solum Theophilus Alexandrinus, sed etiam Sancti Epiphanius, & Hieronymus habuerunt cum Sancto Chrysostrum in causa Origenistarum. Culpani tamen non sunt Sancti illi Patres, quia, ut optime observat Baronius ad annum cccc. n. lxxii. *Sæpe contingit, Sapientissimos quosque falli, eosdem tamen a Sapientia, & insua probitate non excidere, cum nimirum ad ea, quæ agunt, recto sententiaque mentis feruntur intuitu. Cum igitur de Sanctissimorum Vivorum Epiphani, Hieronymi (ut de Theophilo dicere præmittamus) atque Joannis*

Chrysostrum optima mente dubitare religio sit, quæcumque ab eis acta sunt, in meliorem partem accipias, necesse est. Hanc sapientissimam in factis hominum metiendis Baronii regulam semper præ oculis habere debes, ut ea, quæ a SS. Patribus, vel a Catholicis Scriptoribus sincere acta, vel tradita sunt, nunquam in sinistram sensum interpreteris.

D. De Conciliis, quæ in quinto Ecclesiæ sæculo contra Pelagianos, Nestorianos, Eutythianos, & Origenistas habita sunt, satis hæcenus discussi. Superest nunc ut paucis referas Concilia, quæ eodem Ecclesiæ sæculo ad faciendam Ecclesiæ Disciplinam fuerunt celebrata.

M. Multa in quinto Ecclesiæ sæculo Concilia Nationalia & Provincialia fuerunt coacta ad faciendam Ecclesiæ Disciplinam, & ad dirimendam Controversias, quæ identidem occasione Ecclesiastica jurisdictionis oriebantur. In primis, in Concilio *Taurinensi*, quod, juxta *Cl. Pagium* inditum est anno cccc. non vero anno ccccvii. ut autumat Baronius, agitata est controversia de Primatu inter Episcopos Arelatensem, & Vienneensem, decretumque est Canone secundo, ut qui ex duobus illis Episcopis probare posset, suam Civitatem esse Metropolitanam, is totius Provinciae honorem Primatus obtineret, & juxta Canonum præceptum, Ordinationum haberet potestatem. Hinc, ut obiter dicam, falsi convincitur quorundam hujus temporis Criticorum opinio, qui origines omnium Ecclesiarum Gallicanarum, præter Lugdunensem, & alias paucas, ad medium tertii sæculi detrudunt, affixa ex Gregorio Turonensi *Grati* Consulatu gesto anno ducentesimo quinquagesimo missione Sancti Trophimi in Gallias. Enim vero Episcopus Arelatensis a Concilio Taurinensi juris Metropolitanici Ecclesiastici honorem sibi conservari non alio nixu fundamento postulabat, nisi quia ad Urbem Arelatensem primo Ecclesiæ sæculo *S. Trophimus* Episcopus missus fuerat. Quæ traditio, si tum temporis certa apud omnes non fuisset, præsertim apud Patres Concilii Taurinensis hujus Controversiæ judices, omni procul dubio Episcopus Arelatensis non solum repulsam tulisset, sed etiam falsam obrudendo traditionem sese omnibus illis Episcopis antiquitatis Ecclesiasticæ haud ignavis deridendam propinasset. Id autem non contigit, quia persuasum habebant Patres Concilii Taurinensis, *S. Trophimum* longe ante Deciana tempora, annumque Christi ccc. Ecclesiam Arelatensem fundasse, ex qua postea, velut ex fonte, ut ait *Zosimus* Papa, universæ Galliæ fidei rivulos acceperunt (a).

(a) Nemo est hodie qui dubitet tempore Concilii Taurinensis receptam fuisse apud Patres illos opinionem de missione *S. Trophimi* sub ipsis Apostolicis temporibus; sed contendunt Eruditi hanc illis persuasionem inductam fuisse a *Zosimo* Papa, cui *Patroclus* Arelatensis id non sine mendacio persuaserat, eo quod rebus suis conduceret tantam antiquitatem Ecclesiæ suæ asserere. Verum licet persuasio ista tantam antiquitatem præfert, adhuc tamen nequaquam extundit auctoritatem *S. Gregorii* Turonensis, qui de *Turo-*

Turonensis, qui *S. Trophimi* missionem ad an. 250. retrahit. Ita *De Marca* Dissert. de primis Galliar. Episcop. Tillemont in vita *S. Dionysii* Paris. Tom. 4. not. 1., ac novissime *Ballerini* in observat. ad Dissert. *Quesnelli* in part. 2. dissert. 5. pag. 999.

Complures Carthagine in quinto Ecclesiæ sæculo celebratæ sunt Synodi, in quibus ad instaurandam Ecclesiæ Africanæ disciplinam saluberrimi conditi sunt Canones, Sedis Apostolicæ consensu & auctoritate adeo probati, ut partem deinde fecerint veteris Collectionis Canonum, quæ incipit a tertio Carthaginensi Concilio, & aliâ ex ordine completitur Concilia, quæ habita sunt sub Aurelio Carthaginensi Episcopo usque ad septimum Carthaginense Concilium, & præterea Synodum Milevitana sub eodem Aurelio habitam. Legendus est super hæc re Illustrissimus *Petrus de Marca* Parisiensis Archiepiscopus cap. 4. Dissertationis de veteribus Collectionibus Canonum, ubi plura perdoctè notat de ordine Conciliorum Africae in veteri Collectione.

(b) Omnium tamen accuratissime ordinem Conciliorum Africae digerunt *Ballerini* Fratres in Dissertat. prævia ad Tom. 3. operum *S. Leonis* part. 1. pag. lxxiv. & seqq. qui singulis Conciliis suos Canones diligenter assignant erutos ex Ferrando, Codice universali Ecclesiæ Africanæ, & Concilio Carthaginensi an. 525. ut præteream veteres Codices summa cura a se consultos.

Hic tamen intactam præmittere haud possum difficultatem circa Appellationes Episcoporum ad Sedem Apostolicam, de quibus actum est in sexta Synodo Carthaginensi, & quas a Patribus illius Synodi omnino prohibitas fuisse, affirmant nonnulli hujus temporis Scriptores. At si perscrutemur originem illius Controversiæ de Appellationibus ad Sedem Apostolicam, aperte liquebit, hanc Synodum non prohibuisse absolute Appellationem Episcoporum, sed solum simplicium Presbyterorum, & aliorum inferiorum Clericorum ad Sedem Apostolicam. Huic quippe enata Controversiæ de Appellationibus ad Romanam Sedem occasionem in sexto Concilio Carthaginensi dedit *Apiarius* Siccensis Ecclesiæ Presbyter, quem *Urbanus* ejusdem Ecclesiæ Episcopus quorundam criminum convictum Synodali sententia curaverat amoveri. Ille vero, contra Disciplinam Ecclesiæ Africanæ a judicio sui Episcopi ad *Zosimum* Romanum Pontificem appellaverat, & *Zosimus* Legatos in Africam destinavit, ut *Apiarii* causam retractarent. Quapropter Antistites Africani avitæ suæ Disciplinæ tenacissimi, ne deinceps alii Presbyteri, vel Clerici inferiores *Apiarii* exemplum sequerentur, prohibuerunt, ne Presbyteri, Diaconi, & ceteri inferiores Clerici a judiciis Episcoporum suorum ad Romanam Sedem provocarent. Quam prohibitionem Appellationum Presbyterorum, & aliorum inferiorum Clericorum ad Sedem Apostolicam paulo ante promulgaverat Synodus Milevitana, cujus Canon vicesimus secundus ita decernit: *Item placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel ceteri inferiores Clerici, in Causis, quas habuerint, si de iudiciis* *Graveson* Hist. Tom. II.

Episcoporum suorum quæsi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos quidquid est finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si ab eis provocandum putaverint, non provocent, nisi ad Africana Concilia, vel ad Primate Provinciarum suarum. Ad Transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiatur. Viden, Africanæ Ecclesiæ Antistites non prohibere Episcopis, sed tantum Presbyteris, & aliis Clericis inferioribus transmarinas Appellationes. Fatendum tamen est, juxta Africanæ Ecclesiæ Disciplinam licitum non fuisse Episcopis immediate, hoc est, ante examen & iudicium Concilii Nationalis, vel plenarii Africani appellare ad Sedem Apostolicam. Verum appellationes Episcoporum ad Sedem Apostolicam factæ post examen & iudicium Concilii Nationalis, vel plenarii Africani nunquam in Ecclesia Africana vitatæ fuerunt. Denique, si quis obstinate velit, Africanos Antistites in sexta Synodo Carthaginensi omnino & absolute prohibuisse appellationes Episcoporum ad Sedem Apostolicam sive ante, sive post examen & iudicium Concilii Nationalis, vel plenarii Africani, huic respondendum est, Antistites Africanos id fecisse errore facti deceptos. At enim cum *Zosimus* Papa jus appellationum Episcoporum, tanquam a Patribus Concilii Nicæni definitum, suæ Sedi vindicaret, nec tamen de eo jure quidquam Patres Africani stabilitum reperirent sive in Canonibus Nicænis Latinis, quos penes se habebant, nec in Græcis exemplaribus, quæ rogati *Atticus* Constantinopolitanus, & *Cyrillus* Alexandrinus ad illos transtulerant; rogantur Africanus Antistites *Zosimum*, nisi pleniori facta perquisitione constaret, hoc ipsum a Nicænis Patribus fuisse decretum, ne Africanas Ecclesias veller ad hanc observantiam adigere. At statim ac Patres Africani intellexerunt, id juris appellationum Episcoporum ad Sedem Apostolicam decretum fuisse, non quidem in Concilio Nicæno, uti affirmabat *Zosimus* Papa, sed in Concilio Sardicensi Canone septimo, non amplius reluctati sunt, sed ultro admiserunt appellationes Episcoporum ad Sedem Apostolicam, ut liquido constat ex causa *Antonii* Fussalensis Episcopi, qui, teste Sancto Augustino Epist. 161. a Synodo Africana exautoratus ad Cælestinum I. Pontificem, non reclamantibus Episcopis Africanis, appellavit. Causa autem cur *Zosimus* pro Sardicensi Canone Nicænum allegaverit Concilium, hæc est: quia tametsi duo ista Concilia fuerint generalia, parique auctoritatis, Nicænum tamen notius erat, illiusque quasi Appendix dicebatur Concilium Sardicense. Deinde, quia in Collectione Canonum, quibus Romana utebatur Ecclesia, promiscue permixti erant Canones Nicæni, & Sardicenses sub eadem Nicæni Concilii inscriptione, sicut manifesto apparet in *Justellianis*, & *Quesnelliis* Nicænorum Canonum editionibus. Sed hæc breviter dicta sufficiant de transmarinarum appellationum controversia, cui in Concilio sexto Carthaginensi occasionem dedit *Apiarius* Presbyter Siccensis, cujus causa in eodem Concilio sic finita fuit, ut ipse in communionem susci-

fusciperetur, servaretque sui gradus honorem, ea tamen lege, ut ex Civitate Siccensi, cui scandalo fuerat, secedere cogeretur.

D. Summa profecto laude ac commendatione digni sunt Africanæ Ecclesiæ Antislites, qui ad faciendam Ecclesiæ Disciplinam tot Concilia convocarunt; sed numquid alii Orbis Christiani Ecclesiarum Episcopi ad instaurandam Disciplinam Ecclesiasticam pari zelo, & vigilantia pastoralis adlaborarunt?

M. Episcopi Ecclesiæ Gallicanæ in conservando Disciplinæ Ecclesiasticæ vigore, & in Sanctissimis pro externo Ecclesiæ regimine condendis legibus, Episcopis Africanis in quinto Ecclesiæ sæculo haud inferiores fuerunt. Postquam enim Ecclesiæ Africana oppressa incursione Vandalorum, qui Ariani erant, & anno ccccxxviii. in Africa dominari cœperunt, Concilia convocare non potuit; singulari Divinæ Providentiæ beneficio factum est, ut Ecclesiæ Gallicanæ in quinto sæculo multa celebravit Concilia, quorum saluberrimis decretis, seu Canonibus, Disciplinæ Ecclesiasticæ optime fuit consultum. Hæc Gallicanæ Concilia breviter indicasse sufficiet, quorum plenior notitiam si assequi desideres, adire poteris *Sirmondum*, qui omnia Gallicanæ Concilia collegit, & perdoctis Annotationibus illustravit.

In primis, anno ccccxxx. die xv. mensis Augusti habitum est in Galliis a duodecim Episcopis Concilium *Regense*, seu *Rejense*, gallice *Riez*, quæ est Urbs Episcopalis in Provincia sub Archiepiscopo Aquensi, in quo abrogata, & nulla declarata fuit *Armentarii* Ebredunensis Episcopi ordinatio facta a duobus tantum Episcopis, citra aliorum Provinciæ Episcoporum consensum, ac solum Chorepiscopi titulus *Armentario* concessus est. Octo etiam Canonés in rem Ecclesiasticæ Disciplinæ conditi sunt.

Anno ccccxl. in Gallia Narbonensi coactum est a xvii. Episcopis Concilium *Arauscanum*, gallice *Orange*, quæ est Urbs in Provincia sub Archiepiscopo Arelatensi, in quo statuti sunt Canonés xxx. ad Disciplinam Ecclesiæ spectantes, & a *Sirmondo*, & ab Illustrissimo *Albaspino* Arelatensi Episcopo eruditis Notis illustrati.

Anno ccccxlii. in Comitatu Venascino habitum est Concilium *Vasense*, seu *Vasionense*, gallice *Vaison*, cujus de Disciplina Ecclesiastica extant Canonés X. quos *Sirmondus*, *Binius*, & *Albaspinus* Notis suis illustrarunt.

Denique, alia Concilia in Galliis ad refarciendam collapsam Ecclesiæ Disciplinam fuerunt celebrata, *Arelatense* videlicet anno cccclii. cujus extant Canonés Lvi. *Andegavense*, anno ccccliii. cujus extant Canonés Xii. *Arelatense* alterum anno cccclv. *Turonicum* anno cccclxi. in quo editi sunt Canonés Xiii. *Venetium* gallice *Vannes* in Armorica, sive Britannia minori anno cccclxv. in quo confecti sunt XVI. Canonés. Sed de his Conciliis Gallicanis, sicut & de Canonibus, qui in illis conditi sunt, plura legis apud doctissimum *Sirmondum*; nos autem, quibus placet brevitas, huic Colloquio finem imponemus.

COLLOQUIUM V.

De Viris illustribus, qui eruditione & pietate Ecclesiæ in quinto sæculo multum splendoris contulerunt.

D. Etsi bene multos in quinto Ecclesiæ sæculo floruisse viros doctrina, & pietate conspicuos facile admodum colligere possum ex Historia istius sæculi, quam hactenus accurate descripsisti; optarem tamen ut in hoc Colloquio merita & opera recenses, si non singulorum, saltem eorum præcipue, qui in quinto sæculo mira eruditione Ecclesiam præ cæteris illustrarunt, eamque ab Hæreticorum insultibus egregie vindicarunt.

M. Ineunte quinto sæculo multum splendoris Ecclesiæ contulerunt innumeri propemodum viri undecumque doctissimi, quibus optimo jure Theologia acceptum referre debet quidquid verum, quidquid habet sublime & augustum. Hi sunt quippe, qui de omnibus Christianæ Religionis mysteriis, admota veritatis luce, disseruerunt, qui vocum, ad ea planius explananda, propriam & nativam significationem præfixerunt; qui eorum principia solide firmarunt; omnes consecutiones, quæ ex illis elici possunt, studiose investigarunt, & oppositos errores immensis non minus mole, quam eruditione voluminibus confutarunt. Hi sunt, qui Moralis Christianæ integritatem ea ingenii ubertate, dicendi copia, torque acutissimis sententiis propugnarunt, asseruerunt, vindicarunt, ut eloquentissimorum Oratorum facundiam longo intervallo superasse videantur. Verbo dicam, hi sunt, ex quorum eruditissimis lucubrationibus Ecclesiastici Scriptores in succedenti sæculorum serie suam doctrinam, velut ex purissimo fonte, hauserunt, & ab eorum vestigiis ne latum quidem unguem desciscere maximo sibi semper honoris loco duxerunt.

D. Quinam sunt celebriores Scriptores, qui ineunte quinto Ecclesiæ sæculo floruerunt?

M. Inter Græcos unus instat omnium est S. Chrysostomus. Inter Latinos vero Principem locum jure ac merito obtinent S. Hieronymus, & S. Augustinus.

D. Vitam horum illustrium Scriptorum, qui in omnium gentium commendatione versantur, rogo te ut breviter describas, & Opera ab ipsis edita ab Apocryphis accurate fecernas.

M. Ea, quæ Sanctus Joannes Chrysostomus in Episcopatu gessit, memini me jam in superiori Colloquio attingisse. Quapropter, ne tibi iteratis repetitionibus fastidium ingeram, his in præsentia referendis supersedebo, eaque dumtaxat perstringam, quæ privatam illius vitam spectant, & Opera, quibus universam locupletavit Ecclesiam. *Joannes* itaque, ob aureum eloquentiæ flumen, & admirabilem in dicendo facundiam græce vulgari cognomine *Chrysostomus* dictus; anno trecentesimo quadragesimo septimo natus est Antiochiæ ex Patre dicto *Secundo*, & ex matre

An-

Anthusa. Mortuo Patre, Joannem adhuc juvenem *Anthusa* ipsius mater incredibili sollicitudine educavit, & ad perfectam virtutem provexit. Adolefcens *Joannes* Rhetoricæ sub *Libanio*, & Philosophiæ sub *Andragathio* viris id ætatis in his artibus longe celeberrimis operam navavit. Aliquot annos in Foro versatus est, sed mox ad severioris vitæ genus, & ad Christianam pietatem conversus, totum sese obsequio Ecclesiæ mancipavit, & Sacrarum Scripturarum studio addixit. Dein, a Meletio Episcopo Antiocheno baptizatus, & Lector ordinatus *Joannes*, timens ne Episcopus consecraretur, secessit anno cccclxxiv. in montes Antiochiæ vicinos, ubi per quadriennium, hoc est, usque ad annum cccclxxviii. solitariam vitam duxit, & postea, teste *Palladio* in ejus vita, per biennium in loco secretiori vitam egit Anachoreticam; at cogentibus ejus infirmitatibus, anno cccclxxx. ex Eremito ad natale solum reversus, a Meletio Diacono fuit ordinatus, post mortem Meletii a Flaviano ejus in Sede Antiochena successore ad gradum presbyteri promotus, in quo gradu per annos duodecim ad populum Antiochenum tanta omnium acclamatione sermones habuit, ut, mortuo *Nestorio* Patriarcha Constantinopolitano, conspirantibus totius Cleri, & fidelium votis in ejus locum suffectus fuerit, quamvis ipse pertinacissima reniteretur modestia, quæ tantum adhibita vi, & Imperiali interposita autoritate superari potuit. Episcopus Constantinopolitanus inauguratus *Joannes Chrysostomus* multa gessit, & gravissima passus est incommoda conspiratione *Eudoxie* Augustæ, *Theophili* Alexandrini, & aliorum Episcoporum, quæ jam a nobis in superioribus Colloquiis relata, hic repetere omnino supervacaneum esset. Reliquit *Joannes Chrysostomus* moriens præclara ingenii sui Monumenta, in primis *Homilias* in omnem ferme libros cum Veteris, tum Novi Testamenti; varios *Sermones* de variis argumentis Moralibus, Doctrinalibus, de Mysteriis, & de Laudibus Sanctorum. Scripsit etiam S. *Joannes Chrysostomus* librum adversus Judæos; alterum adversus Gentiles; contra vitæ Monasticæ osoros & vituperatores libros tres; præterea edidit libros sex de Sacerdotio; libros duos de Compunctione Cordis; de Providentiâ Dei libros tres; de Virginitate librum, & aliqua alia Opera Moralia, pluresque Epistolas. *Liturgiam*, quæ extat inter Opera S. *Joannis Chrysostomi*, germanum esse S. illius Doctoris factum affirmant peritiores Catholici Critici. Sed paulo major est difficultas de Epistola ad *Cæsarium* Monachum, quæ S. *Joannis Chrysostomi* nomine insignita est. Hanc siquidem Epistolam sub nomine S. *Chrysostomi* laudat S. *Joannes Damascenus* in calce dissertationis contra *Jacobitas*, *Nicephorus* Constantinopolitanus in Antirrethico contra *Iconomachos*, alique, qui de duabus Christi Domini naturis disputarunt: immo, antiquam ejusdem Epistolæ versionem latinam *Emericus Bigotius*, ex Codice Florentino a se descriptam, *Palladii* Dialogo de vita S. *Chrysostomi* subnexuit, & statim Hæretici Angliæ, & Bataviæ eandem Epistolam tan-

quam a S. *Chrysostomo* exaratam multiplici prælo excuderunt, eamque adversus Transubstantiationis dogma, Catholicis objecerunt. Non desuerunt quidem pereruditi Orthodoxi Theologi, qui hanc Epistolam ad *Cæsarium* Monachum sagacissimis observationibus illustrarunt, quibus Heterodoxorum ora obstruerent, & S. *Chrysostomum*, quem authorem istius Epistolæ esse autumabant, Transubstantiationis dogmati minime adversari demonstrarent; at felicius præ cæteris nodum istum dissolvit doctissimus noster Pater *Michael Lequien*, qui postremam & castigatissimam Operum S. *Joannis Damasceni* Editionem nuper adornavit. Is quippe dissertatione tertia Damascenica multis momentis evincit, hanc Epistolam ad *Cæsarium* Monachum non esse exaratam a S. *Joanne Chrysostomo*, sed a quodam recentiore Scriptore, qui Nestorianæ Hæreseos patronus erat, & post Synodum Chalcedonensem scripsit. Certe constat, neminem Damasceno antiquiorem hanc Epistolam ad *Cæsarium* Monachum laudasse, cum tamen expressissima habeat adversus Eutychianos, aliosque unius naturæ in Christo, necnon unius voluntatis & operationis assertores. Hanc, inquam, Epistolam non laudarunt Concilium Œcumenicum Chalcedonense, sexta Synodus generalis contra Monothelitas celebrata, non Lateranensis sub Martino I. non *Theodoretus*, non *Leontius* Bizantinus, non *Anastasius* Sinaita, non *Maximus* Confessor, non Nestorii vindices, non cæteri denique, qui alia S. *Chrysostomi* non sic diferta protulerunt testimonia. Perperam igitur hæc Epistola ad *Cæsarium* Monachum tribuitur S. *Chrysostomo*, ac proinde injuste conqueruntur Hæretici, quod cum aliis ejusdem Sancti Doctoris genuinis Epistolis edita non sit.

Ad eandem suppositiorum S. *Joannis Chrysostomi* Operum classem ablegari quoque debent quatuordecim *Homiliæ* in Evangelium Marci, & sex ex *Homiliis* in *Genesim*, videlicet *Homiliæ* prima, secunda, & tertia in Caput secundum *Genesim*, & tres aliæ *Homiliæ* in Caput tertium ejusdem libri *Genesim*. Denique, Opus in *Matthæum*, quod vulgo *imperfectum* dicitur, quia non ad finem usque Evangelii *Matthæi*, sed ad Caput dumtaxat vicessimum quintum productum est, S. *Chrysostomum* non habet parentem; tum quia nec ejus stylium, nec doctrinam sapit; tum quia etiam plurima continet hæretica dogmata contra Consubstantialitatem Filii Dei cum Patre Eterno, contra Divinitatem Spiritus Sancti, & adversus validitatem Baptismi ab Hæreticis collati. Sunt tamen quidam eruditi viri, quos inter recensentur *Sixtus* Senensis, & *Savilius*, qui existimant, hæc hæretica dogmata, quibus respersum est Opus istud *imperfectum* in *Matthæum*, fuisse ab Hæreticis interpolatoribus in illud intrusa, idque probant, primo, quia manscripta quædam vetustissima nihil hujusmodi errorum contineant, sed alia manu prædicti illi errores ad marginem descripti sint. Secundo, quia iis resectis, & expunctis erroribus, nihil in textu hujusmodi, & mutilum appareat, sed plenus fluat